

Vg
5370



67.191. 23

Vg
5370

ORATIO
DE
HEROICA LUTHERI
VIRTUTE
IN
OPERE
REFORMATIONIS
DEMONSTRATA,

Benevolo Amplissimæ Facult. Theologicæ
INDULTU
DIE,

Quo ipsius memoriam Ecclesia recolebat,

In
Solennissima Eruditorum Panegyri habita

JOHANNE CÄSPARO *Rhein/*
B. A. & Phil. Baccal. ac Theol. Cult.

LIPSIAE, Literis FLEISCHERIANIS, Anno 1699.



ANNO MDCCXCV
Illustrissimo & Excellentissimo Domino,
DOMINO
FRIDERICO de VOSS,
Lib. Baroni &c.

*Serenissimæ ac Celsissimæ Principis ac Dominae,
DOMINÆ
WILHELMINÆ ERNESTINÆ,
D. G. Daniæ, Norvæg. Vandal. & Gothorum &c. &c. &c.
Principis Hæreditariæ, Comit. Palatin. ad Rhenum
& Electricis Viduæ &c. &c. &c.*

**Consiliario Intimo & Supremo
Aulæ Præfecto,**

Dominus suo Gratioſo,

SALUTEM ET FELICITATEM PERPETUAM!



DOMINE ILLUSTRISIME, EXCELLEN-
TISSIME QVE,

Quoniam non ita pridem eloquentiae meae vires periclitandi **AMPLISSIMUS THEOLOGORUM ORDO** facultatem benevole concederet, hoc equidem nihil mihi accidere potuisset gratius, nihil jucundius. In sinu maxime gaudebam, quod omnibus jam diu votis expetita mihi, quae multo ab-hinc tempore mecum volutavi animo, ad liquidum tandem perducendi occasio nasceretur. Quia etenim hactenus voti mei summa in eo unice propemodum constitit, ut aliquod **TIBI, DOMINE ILLUSTRISIME**, grati animi documentum, quavis data occasione, conspicendum præberem, ea se se mihi offerente, non potui non insolito efferti gaudio. Causam hujus rei non est cur admireris. Maximus ille favor, quo integrum nostram familiam pariter ac meam in primis tenuitatem perpetuo complexus es, nec minus ingentia, quibus sæpiissime per quam me nihil nunquam tale meritum **TIBI obstrinxisti**, beneficia, eam in animo meo cupiditatem effecerunt. Beneficia, inquam, a **TUA ILLUSTRISSIMA EXCELLENTIA** in tenuitatem meam largissime, ceu illud demonstrare in proclivi esset, nisi alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solerent, collata, quoddam grati animi specimen edendi, cupidinem mihi iniecerunt. Qua ex re factum est, ut occasionem mihi ad fulgentem, avidissime fuerim amplexus. Et quoniam succurreret, inter alia hoc etiam in Oratore requiri, ut dicendi materiam ei, cui **SACRA esse deberet**, maxime congruentem feligat; ab initio statim simulac Oratoris persona mihi imponebatur, uno ad **TE, DOMINE ILLUSTRISIME**, altero ad argumentum, in quo optime mea versari possit **Oratio**, oculo respiciebam. In qua cogitatione cum paulisper defixus essem, animum subibat recordatio, non perperam me factum, si quando ad **Orationem HEROI consecrandam, HEROI-**
CAM

CAM quoque materiam feligerem, quo & inter eum, de quo
verba facturus essem, & cui illam inscribere meditarer, svavis-
sima necessitudo intercedat. Quam ob causam è vestigio de-
materia, quam titulus præfert, agere mihi proponebam. Quam
mihi proposui, pro ingenii modulo elaboravi, elaboratam reci-
tavi, recitatam publicis exscribi typis curavi, atque TUUM, DO-
MINE ILLUSTRISSIME, GENEROSUM præfigere
nomen, sustinui. Super est ut à me eâ, quâ par est, animi obser-
vantia ac humilitate TIBI offeratur, a TE autem vultu sereno
accipiatur. Ingenue quidem fateor, Orationem, quam tibi ex-
hibere audeo, utpote omni prorsus verborum pariter ac rerum
ornatu destitutam (quid enim expolitum ac limatum à tenuita-
te mea expectari posset?) vix dignam esse, quam adspectu digne-
ris, nedum ex occupationibus TUIS ad eandem per-legendam
aliquid temporis sumas; sed Benevolentia, qua perpetuo me
prosecutus es, maxima, animum mihi addit, & TE hoc quicquid
est muneris, non penitus adspernaturum, pollicetur. Accipe i-
gitur VIR ILLUSTRISSIME, hoc qualecunque animi gra-
ti pignus, ac porro fave. Ego omnem meam cogitationem, in-
dustriamque nunquam non in eo figam atque locabo, ut me di-
gnum præstem, quem TUO FAVORE ac PATROCINIO
semper foveas. Pari quoque pacto DEUM assiduis defatigabo
precibus, ut TE in seros annos salvum ac incolumem præstet, o-
mniisque prosperitatis genere clementer beare velit. Vale.

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Lipsiae die II. Decembr.
Anno 1699.

Devotissimus Cliens
JOHANN CASPAR RHEIN.



RECTOR MAGNIFICE,
Comites Illusterrimi, Viri Summe
Reverendi, Amplissimi; Excellentissimi, Consultis-
simi, Experientissimi, Clarissimi: Tuque reliqua
Civium Academicorum Nobilissima at-
que lectissima Concio.

* * *



On recens introducta, sed à pluribus
retrò decursis seculis non unius dun-
taxat vel alterius, sed integrarum
quoque nationum consuetudo vigi-
vit, quâ dies illos, quibus aliquid vel
faustum & fortunatum, vel infortu-
natum ac diro alicujus rei eventu
infame ipsis accidit, sedulo per-
quim & ingenti cum cura observarunt. Quod si enim
vel antiquissimorum temporum vestigia relegimus, & in
Scripta, in quibus eorum historia continetur, evolvenda
aliquid studii & operæ insumimus, plurimorum equidem
populorū pariter, ac unius vel alterius exempla extant, qui
peculiares quosdam dies, quibus vel ex maximis emerse-
runt periculis, vel felicissima commiserunt prœlia atque
pulcherrimam ab hostibus victoriam reportarunt, vel ali-
ud quippiam (quis enim omnia, quæ homines magni
vulgo æstimant, sigillatim percensere institueret?) iis con-
tigit,

A

tigit,

tigit, tam ipsi diligenter observarunt, quam etiam posteris
observandos commiserunt. Largissima, inquam, exem-
plorum ejusmodi copia suppetit, paulo longius repetenda
non sunt. Quis tam exigua historiæ veteris notitia est in-
structus, ut ipsum, Cretenses dies latoꝝ & fortunatos albis
designare lapillis, lugubres autem nigris adnotare calculis
consuevit, prætereat? Quem fugit, quod Parthi diem,
quo Arsaces Seleucum pugna vicit memorabili, in fastos
retulerint & tanquam initium libertatis faustum atque fe-
licem habuerint? Quem latet, quod Syracusani diem
quartum supra vigesimum mensis Maji, quo Athenienses
cum toto exercitu ad Asinaram flumen clade notatu
dignissima adfecerant, præcipue felicem observarint juxta ac
coluerint. Atque ut ad exempla hominum singulorum
deveriamus, pari ratione multi in recenti usque memo-
ria multos habuere dies, quibus ex ipsorum sententia ali-
quid successit. Quod enim Xerxes diem illum, quo Sacas
ad internacionem dedit, pro fortunato non tantum ha-
buerit, sed quo illius non adeo facilè obliteraretur ac in-
tercideret memoria, peculiarem ei, propter victoriam ab
hostibus obtentam, indiderit appellationem, Sacam eum
nuncupans, neminem Vestrum, *Auditores Honoratissimi*,
ignorare, nullum est dubium. Pari quoque pacto de Phi-
lippo Macedone, ipsum sextum Thargelionis diem, quem
nonnulli pro mense habent undecimo, in felicissimis sem-
per vel primo loco posuisse, notius est, quam quod notis-
simum. Namque literis proditum est, quod illo die tri-
plici fuerit delibutus gaudio, siquidem non solum, quod
quadrigæ Olympias vicissent, verum etiam Parmenio dux,
hostes occidione occidisset, nec minus Alexander Filius in
svavissimæ hujus lucis prodiisset auras, ad ipsius aures fama
pervenisset. Sed quæ, *Audit. Honorat.* nos urget necessi-
tas,

tas, ut exempla vetera conquiramus & in unum veluti acer-
vum congeramus? Partim enim hunc apud veteres obti-
nuisse morem, inter omnes satis superque constat, partim
adhuc dum eum vigere, quotidiana comprobat experien-
tia. Quotus quisque enim est, qui facile ejus diei memori-
am ex animo effluere patiatur, quo Deus ingentis ipsum
beneficii compotem atque participem reddidit? Ecquis
potius non est, qui assidue de eo non sine ingenti lætitia
cogitet? Nec immerito. Fas enim est & æquum, ut ho-
mines illos dies, quibus Divinum Numen singulare illis
exhibuit beneficium, studiosè adnotent, & suo quisque a-
nimo repetat. Etsi enim singula luces præpotentis omni-
um rerum gubernatoris beneficia adnumerent largiter,
nec ullum momentum intercedat, quo benignissimam e-
jus curam haud persentificant homines; nihilo tamen se-
cius uno magis, quam altero die benignitatis suæ thesauros
recludit, & plura in ipsos bona redundare patitur. Quod-
si igitur quispiam oblivioni mandare & dissimulare susti-
neret, quæ in ipsum Numinis bonitas contulit, non video,
quomodo infelicitis imprudentiæ crimen à se possit amoli-
ri, aut insuper haberet, qua ratione a manifesta impietatis
nota absolvi queat, parum dispicio. Quæ cum ita sint, lu-
culenter satis, quæ hodierno die officii nostri postulet ra-
tio, perspicitur. Illuxit enim hodie, & adspirante Divini
Numinis gratia felicissimè illuxit ille dies, quem in primis
lætum nobis & fortunatum habere convenit. In orbem
rediit, qui supra memoratos longè antecellit. Dies appa-
ruit non atro, sed candido signandus lapillo, dies, quem
nos, qui Christo nomen dedimus, meliori jure, quam Par-
thi, cum Arsaces à Seleuco fuso fugatoque superior dis-
cessisset, initium libertatis nuncupamus. Lutherum enim,
Magni instar Herois, cum validissimis omnino hostibus,

A.

Pon.

Pontificiis puta, falso & superstitione cultui addictis con-
gressum & acerrime quidem, sed felicissime tamen armis
confixisse, ac ipsos prostravisse & in veram nos adseruisse
libertatem, in memoriam ac animum revocamus. Dies,
qui hodie exortus est, quos Syracusani, Xerxes & Philippus
Macedo tanquam felicissimos adnotarunt, diebus, longo
admodum intervallo præferendus est. Non triplici nos
gaudio perfundit, sed multiplici ac innumerabili. Num
ergo hujus diei memoriam non recolamus? Num mente
ac memoria, quæ DEUS per MARTINUM LUTHERUM
nobis præstítit beneficia, eadem non repetamus? Absit.
Alia mens piis nostris majoribus fuit, aliis animis. Illi
sicut alia, ita hoc etiam sapienter instituerunt, ut ubique,
Christianæ ditionis quoisque patent termini, in ædibus sa-
cris non tantum concionando, precando & cantando; sed
in Academiis quoque Oratione quadam de argumento se-
lectissimo in Lutherum directo, quotannis hic dies cele-
braretur. Quam dicendi provinciam cum mihi Amplis-
simus Facultatis Theologiæ **DECANUS** delatam voluerit,
in nullo commodius argumento Orationem meam versa-
ri posse existimavi, quam si de **HEROICA LUTHERI**
VIRTUTE IN OPERE REFORMATIONIS de-
monstrata brevissime differerem. Optarem autem, ut ea
mihi suppeteret ingenii vis, ea dicendi copia, quæ materiae
huic pulcherrimæ, de qua verba facere institui, responde-
ret; sed Vos, *Audit. Honor.* pro singulari vestra benevo-
lentia tenuitatem meam sublevaturos, spero. Hinc pau-
cis me expedio, inquiens: favete, quæso, animis, favete
linguis, favete auribus.

Quemadmodum, Auditores omnium Ordinum Ho-
noratissimi, plurimumq; æstumandi, Pictores vel Statuarii
consummatissimæ pulchritudinis posituri speciem, ex plu-
ribus

ribus eam membris componunt, & quicquid notabile arte
ac elegantia aut observarint uspiam, aut ipsi conceperint a-
nimo, in simulachrum sive imaginem suam libenter con-
ferunt; ita etiam nobis Lutherum descripturis incumbit,
ut colores pulcherrimos maximeque idoneos conquira-
mus, & characteres Heroem cognoscendum præbentes,
studiose congeramus, quo ipsum vivum quasi sistamus &
consummemus, quem exhibere intendimus. Quod si i-
gitur penitiore mentis oculo ea, quæ in omnibus splendi-
dissimo Herois titulo insigniendis adesse debent, lustra-
mus, atque ad exactioris judicii obrussam examinamus, fa-
cili equidem negotio, quod si quispiam alias, noster certe
Lutherus, magnificentissimum Herois titulum promerear-
tur, adparet. Nihil enim quicquam reperire licet eorum,
quæ ad implendam perfectissimi Herois mensuram perti-
nent, quod non commodissime per quam ad LUTHERUM
nostrum accommodari possit. Ante prima autem signa-
hocce documentum ab iis, qui ex instituto de Virtute He-
roica agunt, collocari constat, quod non forte casuve & ju-
xta communem naturæ ordinem, sed singulari potius æ-
terni Numinis providentia vel gignantur atque in lucem e-
dantur, vel peculiari quodam divini spiritus impetu per-
culsi ad magnum quidpiam suscipiendum, excitentur. Nec
præter rem faciunt, dum non fortunæ casusque negotium
geri, si quando homines animo Heroico præditos nasci
contingit; sed providentiæ divinæ eximium esse benefici-
um, sibi perswasum habent. Origæ ipsorum omnino, ut
omnium mortalium non nisi ad Deum auctorem referen-
da est. Ab eo, tanquam ex sole demissus radius cœlestis
animi Heroici vis dimanat; hic est, qui homines quosdam
magnæ virtutis maximarumque rerum capaces reddit. Hu-
mani enim generis commoda benigne promota cupiens,

nonnullis ejusmodi vim animique vigorem à primo statim ortu, quin in utero materno adhuc latentibus inserit atque in terras dispensat, quo maximas illi utilitates ac emolumenta adferant. Ut proinde omni careat dubio, quod Heroas originem suam DEO in acceptum referre oporteat. Verum enim vero, quomodo cum Luthero nostro, cui Herois convenire titulum adstruere conamur, sese res habet? Num etiam is persona singulari DEI providentia excitata est? Utique. Quod si enim oculorum nostrorum aciem ad ipsum convertimus, peculiari eum instinctu à divino Numine fuisse excitatum, evidenter cognoscimus. Id quod vel ex Reformationis negotio, quod in se suscepit, non obscure patet. Num enim quispiam, si paululum duntaxat explicet atque excutiat intelligentiam suam, ut credat se induci patietur, quod aliquis proprio ausu, omni auxilio destitutus, ad opus tam arduum, totque difficultatibus & periculis obseptum, quale Reformationis est, animum adjuncturus sit, nisi ab altiori excitatus ac impulsus principio? Num veritati consentaneum esse videtur, quod homo tam temerarius, atque ad audendum projectus reperiri queat, ut unice seipso fretus Religionem à fermento Pontificiorum purgare ac nitori suo restituere suscipiens, odium non unius tantum vel alterius; sed tot millium, omnium videlicet Romanæ Ecclesiæ adhaerentium, in se concitet, atque cum ipsis in arenam descendat? Quod si alias quispiam cum potentiore quodam, urgente forsitan ultime necessitatis telo, congreditur, nec congreditur solum, sed victoriam quoque reportat, pro re singulari memoratuque dignissima illud habetur, omnes, quibus cor, quod ajunt, salit, altius quoddam subesse principium, quod ipsius se miscuerit animo, excitarit atque animosum reddiderit, statim conjecturam faciunt.

No

Noster autem Lutherus cum universo Pontificis Romani imperio tam potentissimo ac validissimo cum certamen inierit, quem tam stupidum & omnibus fermè sensibus orbum inveniri credibile est, quin è vestigio, hujus rei originem divino adscribendam esse Numini, tam credat firmissime, ut ab ea opinione se vix ac ne vix quidem, quin neutquam prorsus dimoveri patiatur? Quis non vel hanc ipsam ob causam, Luthero Herois appellationem competere, non duabus duntaxat, sed vel centum, si essent manibus, largiretur? Ut silentio involvam, quod hæc sententia, Lutherum ad suscipiendum tam arduum & difficultatis plenissimum Reformationis negotium divinitus excitatum fuisse, in ipsis Sacrarum literarum pandectis fundamentum suum quodammodo agnoscat. Plurimi etenim ex Theologis præstantissimis nostræ addictis Religioni, per Angelum Apocalypticum volitantem per medium cœlum, & grande volumen manu sua tenentem, Lutherum haud inconvenienter posse intelligi, confitentur. Huc accedit, quod nonnulli multo ante & integros centum annos, Deum aliquem esse excitaturum, qui doctrinam antiquam à scoriis & quibus depravata ac corrupta esset, corruptelis purgare sit ausurus, prædixerint, ac indice digito, Lutherum post centum elapsos annos venturum, præmonstrarint. In quibus præcipue Johannes Hussus nomen suum profitetur, quem flammis adjudicatum & jamjam rogo impositum vaticinatum constat: licet jam anserem, (lingua enim Bohemica Huss anserem denotat) assarent atque incinerem redigerent; post centum tamen annorum spatium oriturum esse Cynum, cui cantu Pontificii minime essent interdicturi. Quo ipso ad Lutherum, siquidem eadem lingua hocce vocabulum Cynum sonat, respexit. Id quod tanquam ex tripode Vir memoratus præsagium pro-

N.



protulit, quia illi examinissimi respondit eventus. MARTINUS tanquam fortis miles JESU CHRISTI aperto MARTE contra bestiam Romanam & omnes ei adhaerentes post exactum illud centum annorum spatium arma corripuit: LUTHERUS doctrinam cœlestem pristinis temporibus miris ac indignissimis modis depravatam è situ, squallore ac sordibus vindicavit, nihil inexpertum omisit, sed omni est annis ope, ut pristinum suum splendorem recuperaret. Quæcum ita se habeant, quo ore, qua fiducia quispiam, Lutherum ad moliendum Religionis emendandæ negotium peculiari Numinis divini providentia excitatum fuisse, inficias ire vellet? non video, qua ratione, quantum hoc attinet, Herois titulo privari queat. Neque vero sufficere putant, qui de Heroibus ex instituto agunt, ut singulari æterni Numinis providentia vel gignantur, vel excitentur; sed requiri insuper, ut ingenio ac intellectu alios superent, existimant. Quo genere laudis Salomc præ aliis excelluit. Incliti hujus Herois dotes ingenii ac intellectus adeo vulgarem modum excesserunt, tanta sapientiæ laude fuit conspicuus, ut ea universum terrarum orbem in sui admirationem abripuerit & omnium, quos sol unquam adspexit, Sapientissimi appellationem fuerit indeptus. Quemadmodum Proverbia, quæ in Sacro codice extant, de ejus divina prorsus Sapientia, luculentum maxime testimonium perhibent. Quodsi nostrum, quem depingere & vivis quasi coloribus exprimere studemus, Heroem paululum intuemur, clarissime, quod hoc etiam nomine istud nomen tueri valeat, cernimus. Nam proh Deum immortalem! quæ in ipso ingenii & intellectus dotes eminuerunt rarissimæ? Quam incredibilis sapientia, sicut in omni ejus vitæ actu, ita in primis in Reformationis negotio exsplenduit? Quam egregiis intellectus & ingenii

RTI-
ARTE
post
uit:
niris
for-
i est
aret.
m.,
goti-
isse,
c at-
cere
ri æ-
tur;
ent,
ellu-
elle-
ntiæ
n in
un-
nde-
dice
ma-
hem
us,
iam
roh
do-
ntia,
onis
ge-
nii

nii dotibus instructus fuerit, facile deprehendet, qui pa-
lis per tantum animo secum reputet, tam magni ponderis
atque momenti negotium, nec suscipi nec geri potuisse,
nisi multiplici variarumque rerum notitia exultum pe-
ctus habuisset, in primis autem Theologiae scientia non le-
viter tinctus, sed penitus imbutus fuisset. Quomodo Pon-
tificiorum crassissimos, quos fovent, errores cognoscere,
cognitos detegere, detectos redarguere ac solidissimis re-
fellere rationibus, quin ex hominum evellere ac eradicare
animis valuisset, nisi splendidissimo fuisset ingenio ac men-
tis divina propemodum perspicacitate prædictus, ut digno-
scere potuisset, quid distent æra lupinis, nec minus incom-
parabilis sapientia, qua ratione aurum à scoriis, à vili pre-
iosum, verum à falso sit segregandum, in eo emicasset? Et
quis in dubium vocaverit, quod quemadmodum singularis
DEI providentia ad obeundum tam arduum & grave ne-
gotium ipsum excitavit; ita eundem quoque eminenti-
bus ingenii atque intellectus dotibus exornaverit, atque ad
cuncta rite exequenda aptum reddiderit. Ponite tantum
vobis, *Auditores Honorat.* ante oculos, quomodo LUTHE-
RUS noster sub initium statim Reformationis se gesserit,
tum demum plurima maximeque perspicua eximiæ ejus
Sapientiæ, ingeniique ac intellectus documenta estis ani-
madversuri. Vestram imploro fidem, testesque vos o-
mnes ac singulos, quorum adspectus me nunc mirificè ad-
ficit atque exhilarat, invoco, num LUTHERUS noster illu-
strissimum divinæ suæ sapientiæ specimen in eo non edi-
derit, quod, cum *Leonem decimum Pontificem* plurimos,
qui omnium flagitorum ac scelerum generibus contami-
natis turpissimo mercatu cœlum venale exponerent, in to-
tum prope terrarum, qua patet, orbem & inter eos Joan-
nem Tecelium in Germaniam misse, atque ad eum ho-

B

mines

mines quasi agmine factō concurrere, ad ipsius aures fama
pertulisset, atrocissimæ huic rei non temere ac inconsulto
animi impetu, sed deliberato mentis consilio medelam
adhibere cœperit. Relatum enim legimus, quod ante o-
mnia in monasterio suo fidelissime homines, ut prudenter
agerent, neque merces istas, Jüterboci, oppido Witteber-
gæ vicino, ab institore ac indulgentiarum venditore Tece-
lio tanti emerent, monuerit: præstare, ut facultatibus su-
is ac opibus pauperum sublevarent inopiam, quam incer-
tam gratiam certa pecuniæ summa redimerent, causam in-
terserens. Clarissimum, inquam, Sapientiæ suæ specimen,
mea quidem sententia, in eo conspiciendum præbuit, quod
initio fidelissime monendo ac dehortando ab emenda-
pretio peccatorum remissione homines avertere allabora-
rit. Cui sententiæ Vos etiam, *Audit. & stumatissimi*, album
adjecturos esse calculum, spero atque confido. Vos enim
pro comperto atque explorato habetis, quod ante omnia
aliquem admonitionibus bonis à re quadam illicita abstra-
here conari, sapientis atque prudentis sit; si vero locum
non inveniant, nihilque proficiant, dum deinde alia res
via aggredienda. Quod cum etiam Lutherus noster pro-
be observarit, nullum mihi relinquitur dubium, quin
exinde singularem ipsius vim Sapientiæ mecum sitis agni-
turi. Porro etiam alia, quæ eximias Lutheri intellectus &
ingenii dotes manifeste ante oculos ponunt, documenta-
extant. In quibus illæ Theses nonaginta quinque, quas
Wittebergæ pridie Calendarum Novemb. anno millesimo
quingentesimo decimo septimo promulgavit, post-
quam Tecelium moderata sua ad populum monita de va-
nitate indulgentiarum, indignè ferre rescivisset, non infi-
mum sibi locum vindicant. Nam præterquam quod de-
rebus prægnantibus, utpote præcipuis fidei capitibus fir-
missi-

missimo Scripturæ S. innixis fundamento agant, hoc nota-
tu dignissimum, neque silentio prætereundum venit, quod
eas hac lege ac conditione publicis affixerit valvis, ut præ-
sentibus pariter atque absentibus, quicquid vellent, in me-
dium adferendi facultatem concesserit. A præsentibus
petiit, ut loco ad inquirendam veritatem destinato sui quis-
que copiam faceret & animi sui sensa exponeret; ab iis ve-
ro, quibus coram adesse non vacaret, contendit, ut scriptis,
si quæ suborta ipsis fuissent dubia, secum communicarent.
Quomodo autem eò audaciæ progredi, quo pacto thesi-
um suarum patrocinium in se suscipere potuisset, nisi sum-
mo ingenio & inusitata eruditione Theologica exornatus
atque instructus fuisset: nisi earum controversiarum, quas
ambitu suo completerentur, accuratam habuisset intelli-
gentiam, nec aut inveniendi firmandique veri, aut depre-
hendendæ ac arguendæ falsitatis vias omnes & rationes e-
gregie calluisset, & nisi, ut multa in compendium mittam,
ejusdem intellectus æternæ veritatis luce collustratus fuis-
set? Jam vero cum ipsum abunde hæc omnia præstitisse,
atque omnes suos adversarios, qui vel coram Theses im-
pugnarant, vel contra ipsum calamum strinxerant, atque
ex illis *Jobannem Eccium*, Theologum Ingolstadiensem,
nec minus *Sylvestrum Prieriatem Dominicanum* alios-
que plures tam solidè ac nervose refutasse, atque ad tam al-
tum illos silentium, ut propemodum contra ne hiscere
quidem potuerint, redegisse constet, quis ipsum eximiis
ingenii atque intellectus dotibus præditum fuisse, negare
ausit? Sed quid pluribus verbis opus est? Quæ nos cogit
necessitas, ut tam prolixè, quod singulares in Lutherum
nostrum dotes Numen divinum contulerit, stabilire an-
nitamur? In eo dum toti sumus, non immerito ii, qui So-
lilucem fœnerari student, videri possemus. Ipsius enim

ingenii splendor per se satis in cujusque oculos incurrit, ut
forinsecus illata luce non indigeat. Hinc cum magnos
Heroes non solum intellectu & viribus ingenii, sed præci-
pue animo ad ardua suscipienda imperterriti metiri soleam-
us, animum Lutheri nostri Heroicum & fortissima ipsius
facinora tam initio Reformationis, quam in ejusdem pro-
gressu perpetrata paulisper contemplari, operæ pretium
erit. Hoc autem dum paro, in votis atque optatis habe-
rem, ut in eum derepente dicendi habitum infantia mea
commutaretur, quo parem rebus orationem adferre pos-
sem, pondusque verborum & gravitas animi ipsius Heroi-
ci rerumque præclare gestarum magnitudinem exæqua-
ret; sed hoc optandum magis, quam sperandum est. Nam
Luthero nostro tam ingentes fuere spiritus, tam infractus
ac leoninus ad subeunda quævis pericula animus, tanta for-
titudo & constantia, tanta alacritas, ut nulla par ei inveniri
possit oratio. Quam proxime ad veritatis æquilibrium
hoc accedat, tum demum, *Audit. plur. estumandi*, eviden-
ter cognoscetis, si nonnulla mecum facinora, quæ edidit,
paulisper perpendere volueritis. Animis vestris tantum
reputate, in quæ Heroico animo dignissima verba, cum
Wittebergæ Prior atque Sub-Prior, metu percussi, & quo
res tam ardua, quam in se susciperet, evasura sit, exspecta-
tione suspensi ipsum adiissent, rogantes, ut ordini parce-
ret, nec illum hominum ludibrio exponeret, jam nunc in
sinu Franciscanos gaudere, quod in ignominiæ suæ socie-
tatem venisset, eruperit. Respondisse enim perhibent:
**TOTUM HOC STATIM CONCIDET, SI IN
NOMINE DEI COEPTUM NON EST; SIN
AUTEM; DEO REM COMMITTITE PERFI-
CIENDAM.** O vocem magnificam, magnoque & He-
roico vere animo dignam! Deinceps etiam secretiori
pau-

ut
nos
eci-
ea-
sius
pro-
im-
be-
ne
pos-
roi-
qua-
lam
ctus
for-
niri
am-
len-
dit,
cum
cum
quo
cta-
rcce-
c in
cie-
ent:
IN
SIN
RFI-
He-
iori
pau-

paulo æstimatione pensate, num Lutherus noster non maximas & luculentas animi Heroici significationes, cum à Carolo Quinto post Maximiliani Imperatoris mortem in ipsius locum suffecto & turbis in Germania, ceu videbantur, medicinam facturo, ad comitia Wormatiensia per fe- cialem, salvo addito conducto, esset evocatus, dederit. Nam licet maximum sibi periculum imminere cerneret, & non pauci, ut tergiversaretur, ipsi Autores essent; nihilominus tamen nullum discrimen detrectandum, nullam difficultatem pertimescendam, & nullam vel capitis dimi- cationem sibi refugiendam ratus, respondit: LICET TOT DÆMONES, QVOT IN TECTIS TE GULÆ, WORMATIÆ DEPREHENDERENTUR, SE TAMEN CAUSÆ SUÆ NON ESSE DEFUTURUM. In ipsis comitiis, cum, præsente Imperatore & Statibus Imperii, de libris suis, an eos pro suis fœtibus adgnosceret, interrogaretur, de genuinis adfirmavit; palinodiam vero canere jussus ut marpesia rupes stetit, & ex Sacris informa- tionem ab ipsis petens, ne latum quidem ungvem cessit. Sedit, quod semel placuerat, suggestu Numinis, nec despe- ravit de victoria. Non ignoravit, quod nemo sanctiora arma capessat, quam quibus pro Religionis veritate pu- gnatur. O ingentem itaque animum! O facinora pul- cherrima cedroque dignissima! O maximum Heroem! Longe plura ejusmodi facinora, quibus animum suum Heroicum demonstravit, adducere in proclivi esset; verum- enim vero si in tam latissimum dicendi campum excurrere velimus, pluribus nobis iisque spatiofissimis clepsydris o- pus foret. Quod si ab Heroe requiritur, ut ipsius facta ad utilitatem vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ spectent, uti requi- ritur certe, quæ majora in Ecclesiam conferre beneficia, quibus facinoribus de toto Christiano orbe melius, quam

his, mereri potuisset. Is enim Religionem, variis corrup-
telis depravatam, à scoriis segregavit. Nitori suo ejus o-
pe restituta est. Ipsius beneficio pressæ pietatis res è tene-
bris, sub quibus sepultæ jacebant, prodire cœperunt. Ipsí
debemus, quod verbum divinum pure & incorrupte præ-
dicetur atque Sacra menta juxta Christi institutionem rite
dispensentur, atque, ut paucis omnia complectar, viam
nobis ducentem ad coelum & vitam æternam monstravit.
O beneficia eximia & nullo satis ore deprædicanda! Quis
est igitur, qui, cum luculenter satis demonstraverimus,
quod omnia Herois requisita in Luthero nostro deprehen-
dantur, splendidissimo ipsum hoc titulo spoliare ausit?
Nos quidem hanc præterit, quod nonnulli iis duntaxat, qui
in bello se fortissime gesserunt, ac militaribus virtutibus
non vulgarem nominis famam sibi compararunt, Herois
ad petitionem adsignent, sic Herculem, sic Themistoclem,
sic Scipiones, Camillos aliasque plures ob summam forti-
tudinem Heroes appellatos passim invenimus, hoc, in-
quam, probe scimus, non videmus autem, quid obstet, quo
minus etiam alios hoc titulo salutare conveniat. Quan-
tumvis enim bellicæ fortitudinis laude non sint conspicui;
alia tamen, eæque pulcherrimæ, in ipsis virtutes eminere
possunt. Cognitum etiam nobis atque perspectum est,
quod autoritate Aristotelis, qui tam laxa significatione vir-
tutem Heroicam non accepisset, se tueri admittantur. Ve-
rum enim vero in Aristotele præsidium quærentes, nullum
inveniunt, siquidem inter omnes constat, quod nuspian
ex instituto hancce virtutem pertractarit. Quamobrem
iis potius ad stipulamur, qui Herois titulum non modo ar-
mis inclytis, sed aliis etiam, in quibus singulares virtutes
quam uberrime radiant, attribuere, non equidem sibi reli-
gioni ducunt. Quemadmodum nos manifestissimum in
Lu-

Lutherō nostro exemplum proposuimus, atque ipsum in Reformationis negotio vere Heroicam demonstrasse virtutem, ut si quisquam alius, ipse summo cum jure Heros appellari possit, ostendimus.

Proinde cum omnia sole meridiano clariora existant, nihil amplius superest, quam ut ad Te, ÆTERNE, MISERICORS AC BENIGNISSIME DEUS ET PATER, nos convertamus, Tibique grates ac laudes quam maximas atque humillimas pro omnibus, quæ per Lutherum Heroem nostrum exhibuisti nobis beneficia, persolvamus. Nam sicuti omnis nostra felicitas & quicquid boni nobis contingit, ab ineffabili Tua bonitate, quemadmodum flumina à capite suo feruntur ac fonte, diminant; ita etiam ab eadē ista eccl. beneficia, quæ per Lutherum nobis parta sunt, tanquam à fonte ac scaturigine propullularunt. Tu in eo negotio fuisti primus, fuisti secundus, fuisti ultimus. Tu Heroem nostrum singulari Tua Providentia excitasti, eximiis ingenii ac sapientiae dotibus exornasti, atq[ue] ad suscipiendum Religionis emendandæ opus, aptum reddidisti, in suscepto nunquam ipsi auxilio Tuo defuisti; sed ut nullas minas, nullaque pertimuerit pericula, ipsi animum addidisti. Tandem integrum Reformationis opus direxisti, atque ad tam felicissimum exitum perduxisti, ut hodie divinæ veritatis, veræque Religionis lux quam latissime radios suos spar-

16-3370 BK

spargat. Pro quibus beneficiis, cum nihil aliud in
viribus nostris sit repositum, gratias, quas mente
concipere maximas valemus, agimus, supplices in-
super ad Te manus tendentes, ut, quemadmodum
hactenus Religio salva ac incorrupta viguit, ita et-
iam in posterum eam sartam tectamque conserva-
re non dedigneris. Pari quoque pacto Te DEUM
ter Optimum terque Maximum devota mente ve-
neramur, atque rogamus, ut Serenissimum nostrum
atque potentissimum Regem, FRIEDERICUM
AUGUSTUM, Dominum nostrum indulgentissi-
num perpetuo foveas, tuearis ac prospères. Fac,
ut quoisque produci humanæ vitæ terminus; quam
possunt latissime porrigi annorum nostrorum spa-
tia, tantundem vivendo expleat: ita dirige omnia
eius consilia, ut perpetuo exitum Patriæ salutarem
atque utilem nanciscantur. Conserva quoque a-
lios Religionis verae antistites, ut assidue pro ea ex-
cubias agant, ac nullis malevolorum machinis, ini-
micorum insidiis, vi ac impotentia hostium eam la-
befactari patientur. Tali enim pacto, sicuti hoc,
ita etiam sequentibus annis huncce diem, quo-
tiescunque in orbem reddit, nobis cele-
brare, erit integrum.

D I X I.

M.C

d in
nte
s in-
um,
aet-
rva-
UM
ve-
rum
UM
tissi-
Fac,
uam
spa-
nnia
arem
ue a-
ex-
, ini-
n la-
boc,
10-





CAM quoque m
verba facturus ei
sima necessitudo
materia , quam e
mihi proposui, p
tavi, recitataim p
MINE ILLU
nomen, sustinui,
vantia ac humili
accipiatur. Ing
hibere audeo, ut
ornatu destituta
te mea expectari
ris , nedum ex o
aliquid temporis
prosecutus es, nr
est muneris, non
gitur VIR ILL
ti pignus, ac por
dustriamque nui
gnum præstem,
semper foveas.
precibus, ut TE i
nnique prosperi

ILLUSTRISSIM

Lipsiae die 11. Decembris
Anno 1699.



um, de quo
urer, svavis-
vestigio de
bam. Quam
oratam reci-
UUM, DO.
præfigere
nimi obser-
ultu sereno
uam tibi ex-
r ac rerum
n à tenuita-
pectu digne-
r-legendam
rpetuo me
oc quicquid
Accipe i-
e animi gra-
tionem, in-
o, ut me di-
OCINIO
s defatigabo
i præstet, q.
Vale.

: Cliens
AR Rhein.